

pag. 16. ait *Perjuriis putrescit Clerus; disciplina corrui; vera Christi gratia abjicitur, Pelagius Vineam Domini depascit.* Pag. 8. *Sed quod denique, ajet quis, ingentibus hisce malis confusionem penè Babylonicam Ecclesie invehentibus perfugium, aut remedium? Certè nullum expectandum ab Urbe Romà, quæ totius agritudinis, quæ à plantâ pedis usque ad verticem, Ecclesia luctuosè atteritur, præcipua, & prima causa est.* Unde igitur malis tantis remedium? A solis Augustini Batavici discipulis, Ægidio De Witte, Matthiâ illo Torckio, Quenello, eorumque sequacibus ac Patronis. Præter illos nemo sapiens, nemo doctus, nemo Catholicus: omnes Pelagianis, aut Semipelagianis tenebris involuti. Familiaris illa semper hæreticis fuit de suis jactantia, & minùs tolerabilis aliorum omnium contemptus.

De Arianis testatur Alexandria Patriarcha Alexander in epistola encyclica apud Theodoretum lib. 1. histor. Ecclesiasticæ capit. 3. *Quinimmo, inquit, nec ullum collegarum nostrorum, qui ubique gentium sunt, ad mediocrem scientiam pervenisse, solos se sapientes jactant . . . sibi solis ea esse patefacta, quæ in nullius unquam sub sole cogitationem venire potuerint. O impiam arrogantiam, vesaniam immensam, inanem gloriam, cum furore conjunctam, spiritum satanicum, qui in eorum mentibus callum obduxit! S. Gregorius in cap. 19. Job. cap. 12. *Habent hoc hæretici proprium, ut de inani scientiæ suæ arrogantia insentent, & rectè credentium simplicitatem sæpe derideant.* Cæcos scilicet, ut superiùs notat Simonis, facit homines superbia; verùm, ut non minùs solerter idem observat, non sunt hæretici nullo consilio superbi, sed *ut supercilio suo Ecclesiam ipsam terreant, nequid ausit contra hæresim.**

Imponit Quenellus, dum fingit, *Ecclesiam ipsam rei novitate attonitam, ac suspensam, expectare, quid de eo libro Apostolica Sedes judicatura sit.* Toto quadriennio ante, nempe anno 1708. 13. Julii Sedes Apostolica judicium suum palàm enuntiaverat, librum gravibus censuris feriens. Illas toto quadriennio ignorare Quenellus non potuit, cum contra eas non exiguâ molis opere in colloquia digesto invecus sit. Ex censuris illis utcumque discere potuit, quid in libro à Sede Apostolica præcipuè reprehenderetur. Sed iis non contentus, vult designari distinctius propositiones, quæ talibus censuris occasionem dederint. Cui desiderio cum votum Regis Christianissimi, & Cardinalis Noalli accesserit, annuit Pontifex, & novo imperato examine, Quenelli desiderium su-

Constitutio theol. propugn. Tom. I.

peravit; plures exprimens ejus propositiones, quàm condemnari nova factio voluisset.

Nè superesse quidem ambiguarum vocum prætextum, nisi in aliquibus propositionibus, quæ captiosè declarantur, etiam nos agnoscerimus; cæteras perspicuas esse ipsa lectio convincit. Sensum pleræque præ se ferunt absurdissimum, obvium, quem à Pontifice damnari fatis exploratum est. Quapropter multa de eorum intellectu disputatio minimè necessaria, & parum utilis videtur, nisi Novatoribus, ad afferendas potius luci tenebras, quàm tenebris lucem.

Neque Catholicarum classium inter se dissidia effecerunt; sed Jansenistarum argutiæ efficere conata sunt, ut voces, & locutiones ferè omnes de gratia Christi fierent ambigua. Catholico scilicet Theologorum pallio opus est hæreticis, nè turpitudine nuda displiceat. Sanctorum Patrum sententias, quas *Observationibus Moralibus* Quenellus inseruit, ab eodem perfidè corruptas fuisse, demonstrabit Tractatus proximus.

Frivola eadem Baji, cum adhuc Pontificiæ sententiæ oblectaretur, excusatio fuit, se Patrum magis, quàm Scholasticorum vocibus uti solitum; ideò à posterioribus non intellectum, & perperam explicatum accusari. Sed saniosem dein Bajo mentem Deus indidit, quando, abjectis cavillationibus, veram eum demissionem, atque obedientiam edocuit, cujus omnes Catholici Quenellum videre cupiunt imitorem, ut lugentes hætenus vident sequacem errorum. Benignis quidem interpretationibus lenire Meldensis aliquando studuit quarundam in Quenello locutionum duritiem; sed dein inspecto attentius opere, expertus agnovit, frustra laborari in excusandis erroribus, ubi hæresis tot locis inculcata, & nimium manifesta est. Testimonium ejus de hoc vidimus superiore Capite, ab ipsis relatum adversariis. Testimonii veritatem confirmabit amplius Tractatus sequens de Propositionibus damnatis.

CAPUT XVI.

De jactata à Quenello puritate versionis Novi Testamenti.

„ **Q**UOD Novi (inquit) Testamenti
 „ versionem Gallicam, cautus effugi
 „ quidquid in aliis versionibus
 „ Apostolicæ Sedi displicuisse intellexi.
 „ Versionem vulgatam accuratè selectus,
 „ nihil de Græcis textibus intermisi.
 „ seu. Literalem vulgatæ sensum ad literam dedi,
 „ ab omni paraphrasi datâ operâ absti-

M